



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Chronicon Monasterii Bödecensis Ordinis Canonic. Regul.  
S. Augustini in Diœcesi Paderbornensi**

**Probus, Johannes**

**Monachij, 1731**

**VD18 12260568**

Caput XIII. De tertio miraculo circa prædictum Fratrem facto.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64645](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64645)

ter obedivit. Hic quidam Monastici viri ( quibus grave videtur obedientiale jugum ) considerent diligenter, quia mirum non est quod etiam carnem suam sibi ipsis rebellizare sentiant, quando ipsi Prælati suo Vicario Christi recusant simpliciter obedire.

### C A P U T XIII.

*De tertio miraculo circa prædictum Fratrem facto.*

**P**ræmemoratus etiam Frater DEO devotus, quia libenter relictus erat, publicum vitans, cellæ suæ quodcumque hoc facere potuit, maximè diebus celebribus & festivis fidelis inhabitator habebatur, & ex eo quod libenter apud semetipsum manens DEO intenderet suisque internis, contigit, dum quadam vice solus in cella federet, ac DEO sibi vacaret, præ dulcedine Spiritus visum ei fuit, quod cella ab intus igne plena foret. Sic consuetum est fieri talibus cænobitis, ut divinam dulcedinem hic præguissent, qui non vanis circuitibus inutilibusque discursibus vacarent, sed cum opportunum tempus ad hoc habere possunt, ut intus & foris his, quibus DEO placeant, occupentur, cellas suas inhabitant diligenter.

### C A P U T XIV.

*De quarto mirabili, quod circa prædictum Fratrem contigit.*

**Q**uodam tempore, dum in Choro cum alijs suis Fratribus Horas Canonicas decantaret, & pius Dominus præsentibus ostendere vellet, quod idem Frater columbinæ simplicitati in omnibus suis gestibus, moribus & factis se conformare studeret: Ecce! quando capitulum ex Breviario legit, Columba miræ speciei superveniens super caput ejus omnibus intuentibus sese collocavit, quam dum una manu abegit, supra omnium Fratrum capita, quotquot præsentibus erant, de uno ad alterum volans aliquantulum fecit sessionem. Quo facto in omnium oculis evanescens ultra non apparuit.

CAPUT